

MARSILIVS Ficinus Florétinus Magnanimo Laurétio medici. Sa. di.

s Ynesius, atque Pfellus, & Iamblichus, ac Proclus, porphyriusque Platonici iam pridem amplissimas tuas ædes ingressi, ingenuos filios tuos salutauerunt. hactenus quidē recte admodum fecisse uidetur. quod autem in salutatum te reliquerint, nec egisse prudenter, nec euasisse felices. imprudentiam ergo tuam tandem recognoscetes, ut quandoque feliciores sint, Limina nunc tua reuisunt cognituri patrem, ac rursus una cū patre filios agnituri. sic protinus uicturi felicius. Quippe cum nuper compertum habeant, nec libros quidem de uita nostros, absque tuis auspiciis uiuere uoluisse. Comitatur præterea hos quinque philosophos Priscianus Lydus simul, & Theophrastus. hi enim cum ualorem meum saluere iandiu dixerint, & ardenter optauerint, hodie te alacres adeunt, ita demum magnopere uotum consecuturi, ut imprimis ipsi penes te salui, saluum faciant & ualorem, per te præcipue post deum saluere desiderantem. Salue ante alios optime patrone noster, ac philosophos tantos apud te colloquentes feliciter audi.

Marsilius Ficinus Florétinus Petro Medici uiro magnanimo Sa. dicit.

q Vanquam multa quotidie legitis meliora nostris, nulla tamen ferme magis arbitror uobis placere, quam nostra, si modo sua cuique maxime placere solent, sua uero cuiusque sunt potissimum, quæ omnium antiquissima possidentur. antiquissima certe possidentur à uobis marsiliana, spero igitur hæc uobis semper carissima fore, ut etiam si somnia mittam, hæc quoque quasi pro ueris apud uos primum. atque per uos uera etiam apud alios habeantur. Cum igitur Synesii Platonici librum de somniis, quem nuper interpretati sumus è greco, auctoritatē & fidem imprimis apud lectorem primum, & per hunc apud alios habere desiderarem, potissimum ad te misi, quarto iam gradu post magnum Cosmum nostra lecturum, atque hæc statim approbatione tua omnibus probaturum. adiunxi libro de somniis librum Michaelis pfalli Platonici de demonibus nõ in merito, quoniam à demonibus somnia mitti ueteres arbitrantur. Vale. xv. aprilis. Mcccclxxxviii.

L